



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Adverte tamen, quod quando D. Thomas dicit, sit auxilium divinum esse obiectum formale spei, non loquitur de auxilio creato in voluntate, re- non loquitur de auxilio creato in voluntate, re- non loquitur de auxilio creato in voluntate, re-

Adverte etiam, Deum, ut est bonum nostrum, appellari à D. Thoma, obiectum materiale spei, non absolute, cum revera sit obiectum formale quod, ut articulo precedenti ostendimus, sed comparative ad id quod est obiectum formale quod: sicut color, qui est obiectum formale quod visus, comparative ad lucem, quæ est eius ratio formalis sub qua, obiectum materiale appellatur, licet revera sit obiectum formale, respectu corporis quod afficit, & visibile reddit, & quod propriè obiectum materiale nuncupatur. His premis.

Probatum conclusio ratione fundamentali, quam S. Doctor locis citatis insinuat. Illud cui spes inest, tanquam medio & rationi sperandi viam æternam, & alia ad ipsam conducentia, est ratio sub qua spei, sicut illud est ratio sub qua fidei, quod est ratio & motivum assentiendi veritatibus revelatis: At illud cuius spes beatitudinis tanquam medio & rationi sperandi inest, non est ratio ardui: Ergo arduitas non est ratio sub qua virtutis spei. Probatum Minor, tum quia arduitas, seu difficultas, non movet ad boni prosecutionem, sed potius retrahit, & est motivum desperationis, ut sæpe docet S. Thomas: Tum etiam quia arduitas comparatur ad spem, sicut obsecutus ad fidem: Atqui obsecutus non est ratio formalis sub qua in obiecto fidei, sed conditio tantum, seu modus illius: Ergo & arduitas respectu obiecti spei. Similiter licet ratio formalis & motiva, quare desideramus & amamus beatitudinem, sit illius bonitas, ut nobis conveniens, & commoda, id tamen quod maxime nos movet & excitat ad illam sperandam, est divina omnipotentia ut auxilians, seu ut preparans, & offerens auxilia necessaria ad illam obtinendam, ut docet D. Thomas hic art. 4. his verbis: *Spes respicit beatitudinem æternam sicut finem ultimum, immo autem auxilium, sicut primam causam inducentem ad beatitudinem.* Unde Psal. 117. dicitur, *Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum.* Ubi David pro ratione & motivo ad sperandum, assumptis adiutorium Dei, Et Genes. 25. Deus dicit Abraham: *Ego sum protector tuus, & merces tua magna nimis.* Ubi, ut erigeretur animus ad sperandam mercedem beatitudinis, Deus protectionem suam adiunxit. Id etiam insinuat videtur Apostolus ad Hebræos 6. ubi spem comparat anchoræ, sicut enim anchora, dum per aquam descendit, non firmat navim, quoniam aqua elementum est liquidum & instabile; at dum terræ adhæret, firmissimè navim retinet: sic spes nostra, dum ad hæret promissionibus hominum, non potest non semper mutare, sed cum in Dei veritate & potentia figitur, & efficaciar gratiar celestis innititur, firmissima & inconcussa permanet: Igitur omnipotentia Dei, ut auxilians, erit ratio formalis sub qua constituitur spei.

Confirmatur exemplo fidei, à D. Thoma sæpe adducto: ideo enim divinum testimonium est ratio formalis sub qua fidei, quia in illud sit ultima solutio fidei nostræ; nam interrogatus quis quare credat, & sibi persuadeat Deum esse Trini-

num in Personis, rectè & adæquate respondet, quia Deus dixit: Atqui similiter ultima spei nostræ solutio sit in divina omnipotentia, ut auxiliantem; nam interrogatus quis, quare beatitudinem speret, respondet rectè, quia Deus est misericors & omnipotens, & auxilio suæ pietatis & bonitatis ad illam consequendam nobis assistit. Ergo patet ratio formalis sub qua spei nostræ est omnipotentia divina ut auxilians.

Confirmatur amplius ex egregia connexion, quæ est inter obiectum quod speramus, & obiectum in quo speramus, ob quam se mutuo inferunt: quia enim quod speratur est Deus, non in alio sperandum est quam in Deo, nam ab aliquo obtineri non potest; & quia Deus est in quo speramus, nihil minus à Deo quam Deum ipsum sperare debemus; quia à tam magifico Domino nihil minus sperare decet, quam quod ipse est. Unde, ut supra annotavimus, D. Thomas non aliam à Deo postulat mercedem laborum, quam Deum ipsum. Nec potuit (ut bellè ait quidam Recentior) eligere majus, nec debuit minus: male scripserat, si aliter elegisset.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo: D. Thomas hic art. 3. & quæst. 52. unicà de spe art. 1. ponit rationem ardui in definitione spei. Ergo existimat illam pertinere ad obiectum formale: Sed non pertinet ad eius obiectum formale quod, quia arduum non dicit aliquam bonitatem: Ergo spectat ad rationem formalem sub qua.

Respondeo rationem ardui posse dupliciter sumi: primo pro ipsa difficultate, orta ex impedimentis à consecutione boni concupiti retardantibus: secundo radicaliter pro eminentia seu excellentia boni divini. Hoc secundo modo pertinet ad obiectum formale quod spei, quia induit quandam specialem rationem bonitatis, nimirum raritatem seu pretiositatem, ut docet S. Thomas in 3. dist. 26. quæst. 1. art. 2. ad 1. his verbis: *Difficile vel arduum audit quandam specialem rationem bonitatis, scilicet pretiositatem quandam, ex hoc ipso quod de facili non habetur, sicut dicitur omne rarum carum.* Primo autem modo se habet tantum ut modus vel conditio obiecti formalis quod spei, non verò tanquam ratio sub qua; quia ut sic non est motivum & ratio sperandi aliquid bonum à Deo, sed potius ratio recedendi ab illo bono, ut supra annotavimus.

Obijcies secundo: Amor & desiderium, quo amamus & desideramus nobis Deum ut summum bonum nostrum, est actus spei: At non respicit tanquam obiectum formale omnipotentiam Dei, sed ejus bonitatem, ut nobis convenientem & commodam: Ergo obiectum formale sub quo spei, non est omnipotentia Dei ut auxilians, sed ejus bonitas ut nobis conveniens. Major probatur: Actus ille est bonus, supernaturalis, & Theologicus: Sed non elicitur à charitate, cum illa terminetur ad Deum ut bonum in se; neque à fide, cum sit actus voluntatis: Ergo à spe. Maior pro prima parte constat: Deus enim, ut summum bonum nostrum, est amabilis à nobis secundum rectam rationem: Ergo actus, quo illum sic diligimus, est bonus. Quoad secundam partem probatur: Deus ut summum bonum, nos beatificans, est obiectum supernaturale: Ergo actus quo attingitur, supernaturalis est. Quoad

T. 2.

text.

tertium etiam constat: nam obiectum illius actus est aliquid increatum: Ergo ille actus est Theologicus.

56. Huic argumento communi solutione respondeo, negando Majorem. Ad probationem, concessa Majori, neganda est Minor: charitate enim diligimus Deum ut bonum in se, tanquam obiectum primum, & nos ipsos tanquam obiectum secundarium, ut docet D. Thomas infra quæst. 22. art. 4. præcipue autem nos ipsos charitate diligimus, quando nobis summum bonum optamus, ut ex eodem S. Doctore ibidem colligitur: ac proinde actus, quo nobis summum bonum optamus, est quidem amor concupiscentiæ Dei, sed respectu nostri est amor benevolentie, à charitate secundario illicitus in his qui habent illam; in his vero qui illa carent, scilicet peccatoribus, elicitur ab auxilio supplente vires illius, propter actus imperfectionem: sicut amor Dei auctoris supernaturalis, ut boni in se, non omnino efficax & perfectus, in habentibus charitatem est ab illa; in non habentibus vero est ab auxilio; & actus attritionis in iustificato est à virtute penitentiae; in peccatore vero ab auxilio.

57. Obijcies tertio: Deus ut auxilians importat tantum rationem causæ efficientis: Sed causa efficiens non specificat; cum specificatio educatur ad causam formalem: Ergo Deus ut auxilians, non est ratio formalis specificans virtutem spei.

58. Respondeo sub hoc nomine, *causa efficiens*, latere equivocationem, ut rectè observat Joannes à S. Thoma: nam licet causa efficiens habitum spei, seu illum infundens, non possit illum specificare, quia rationem causæ purè efficientis habet; bene tamen causa efficiens, seu præparans auxilia ad beatitudinem conducentia: cum enim talis causa moveat & excitet ad sperandam beatitudinem, obiectum motivum & specificativum spei Theologicæ ingreditur, subindeque non solum habet rationem causæ efficientis, sed etiam formalis extrinsecæ, & specificantis. Unde Major argumenti falsa est, & neganda: Deus enim, ut auxilians, utrumque genus causalitatis, efficientis scilicet, & formalis extrinsecæ importat: efficientis quidem, respectu auxiliorum quæ confert, vel offert; formalis vero extrinsecæ, per ordinem ad actum vel habitum spei, quem specificat.

59. Obijcies quartò, Ratio sub qua spei debet esse ratio aliqua boni: Sed omnipotentia ut auxilians non pertinet ad lineam boni formaliter, sed ad rationem entis: Ergo non est ratio formalis sub qua spei.

60. Respondeo primò, negando Majorem: licet enim ratio quæ spei debeat esse aliqua ratio boni, utpote quæ sola potest appeti; ratio tamen sub qua non debet esse aliqua ratio boni, sub conceptu formali & expresso bonitatis: quia ratio sub qua spei, non est illud quod appetitur, sed cui spes innititur ad superandam difficultatem, cum bono separato conjunctam; quod, ut patet, non exprimit bonitatem & convenientiam, sed virtutem & potentiam.

61. Respondeo secundò, data Majori, distinguendo Minorem: omnipotentia ut auxilians non pertinet ad lineam boni, ut quod, concedo: ut quo, nego: licet enim bonitatem & convenientiam non exprimat, est tamen principium effectivum beatitudinis, & mediorum quæ ad illum conduciunt, quod est esse bonum ut quo.

ARTICULUS IV.

Utrum in Beatis & comprehensoribus habitus spei Theologicæ remaneat?

Supponimus primò tanquam certum, spem reperiri in omnibus viatoribus, præterquam in hæreticis, vel infidelibus. Si enim viatores sint pii & iusti, non est dubium quin spes in illis relinquantur, quippe qui sine hac, non minus quam sine fide & charitate, iusti & pii esse nequeunt. Si vero sint peccatores, dummodo de salute non desperent, habitum spei Theologicæ retinent: cum enim fides & spes sint semina gratiæ, & aliarum virtutum, Deus voluit eas in peccatoribus remanere, veluti duas post naufragium tabulas, ut eorum ope facilius possent redire ad gratiam, & à peccato refurgere; unde Tridentinum sess. 6. docet peccatores per spem & fidem disponi ad iustificationem: Ergo spes in omnibus viatoribus, etiam peccatores sint, & aliis donis & virtutibus infusa spoliati, remanet, juxta illud Isaia 1. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, & quasi Gomorra similes essemus. Dixi, præterquam in hæreticis, cum enim fides sit fundamentum spei, & in hæreticis non sit fides supernaturalis & infusa, sed naturalis tantum & humana ut disputatione præcedenti art. 2. ostendimus, manifestum est in ipsis pariter non esse spem infusam & Theologicam, sed duntaxat naturalem & acquisitam, quæ est amor quidam naturalis concupiscentiæ respectu beatitudinis, & tendentiæ quædam seu inclinatio in ipsam, itemque expectatio ejusdem; quod totum in hæreticis est omnino humanum, quia purant se vel viribus humanis, sine Dei gratia, ut Pelagiani, vel per solam Dei gratiam, abique ullis bonis operibus, ut Lutherani & Calvinistæ, beatitudinem consecuturos, quod tamen impossibile est.

Supponimus secundò, spem in animabus que torquentur in purgatorio remanere: Tum quia, ut præcedenti disputatione vidimus, in illis remanet fides, quæ est basis & fundamentum spei: Tum etiam, quia cum beatitudo respectu illarum sit adhuc abiens, & assequenda per graves cruciatum & penas purgatorii, habet rationem boni abientis, & ardui, adeoque est materia spei, ut docet D. Thomas hic quæst. 18. art. 3. in fine corporis, & alii communiter. Nec obest quod illæ animæ certissimæ sint de gloriæ ascensione, certitudo enim non obest actui spei. Idem dicendum est de animabus Patriarcharum, quæ ante passionem Christi in Lybmo detinebantur: nam illæ pariter habebant spem, quia nondum erant beatitudinem adeptæ, sed eam ex auxilio divino, & sub promissione divina expectabant. Unde Sapient. 3. de veteribus illis Patriarchis dicitur: *spes illorum immortalis plena est*: id est, non moritur, sed vivit eorum spes, quandiu sunt in hoc statu.

Supponimus tertio, spem non remanere in damnatis, ut docet D. Thomas hic quæst. 18. art. 3. & cum eo omnes Theologi. Ratio est primò, quia ut in præcedenti quæstione ostensum est, in ipsis non reperitur fides infusa: Ergo neque spes par enim est utriusque ratio, & fides est fundamentum spei, ejusque regula. Secundò, quia ad illorum damnationem pertinet, certos esse de perpetua damnatione, & impossibilitate suæ salu-